





684.
~~1022~~

36

1626, 10.

D. O. M. A.

DISPUTATIO IURIDICA
IN AVGVRALIS,

DE

EVICTIIONIBUS.

QUAM

EX DECRETO ET AVCTORITATE AM-
plissimi Iurisconsultorum Collegij in floren-
tissimâ ARGENTORATIENSIVM
Academiâ,

PRO CONSEQVENDIS SVMMIS IN
UTROQ. JURE honoribus & privilegiis
DOCTORALIBUS,

Publico & solenni examini submittit

ad diem 27. Martij,

MELCHIOR GREINER
Hagenôensis.



ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ,

Anno M. DC. XXVI.



D. O. M. A.

DISPUTATIO IURIDICA
IN PRAECIPUIS

DE

EVICTIIONIBUS

QUAM

EX DECRETIS ET ACQUISITIONIBUS ANTI-

QUITAE IN PRAECIPUIS

ARTICULIS ACQUISITIONIBUS

ACQUISITIONIBUS

ET CONSEQUENTIS SYMMIS IN

PRINCIPALIBUS

ARTICULIS

Publico et privato iuramento

et iuramento

MELCHIOR GREINER

Magister



ALBERTUS A. S.

Excusabat Paulus Landerer

Anno M. DC. XXVI



Σύν Θεσ

DISPUTATIO IVRIDICA
De
EVICTIIONIBUS.



Qvod Vlpianus in l. 1. ff. de in integr. restit. de utilitate istius tituli asserit; eam videlicet non egeri commendatione, cum ipse se ostendat: id perinde etiam de hac Evictionum materia dici jure potest. Est enim materia hæc scitu summè necessaria: utpote quæ pluribus contractibus adeo conglutinata est, ut vix, ac ne vix quidem, ab iis separari ac removeri possit. Hujus igitur materiae amplitudine & utilitate motus, cum disputationi inaugurali deligendum aliquod argumentum esset, de hoc ipso themata quædam (exacta enim ejus pertractatio longè majoris conatus, operisque amplioris fuerit) publicæ & solenni disquisitioni committenda, conscribere volui. Agam autem, DEO IVVANTE, breviter de Notatione ipsius vocabuli, ejusdemque Definitione: quibus ex causis detur: quæ inde nascatur actio. cui hæc, adversus quem, & ad quid detur: quæque ad eam rectè & cum effectu instituendam requirantur.

THESIS I.

Principiò, EVICTIO nomen est elegans, nec humaniorum literarum authoribus incognitum: sic dictum à verbo EVINCERE, quod idem est quod vincendo extorquere, vincendo aliquid ab aliquo consequi & auferre: ut ipsa verbi proprietas facilè indicat: pluribusque ostendunt Caballinus in præfat. tract. de Evict. n. 1. & Donellus in comment. ad tit. ff. de Evict. c. 3. in pr.

2. Germanis dicitur Wehrschafft sive Währschaffe / Gewehr / Schadloshaltung. Wehner. in pract. obs. verb. Gewehr / Wehrschafft

A 2



*schafft / Schadloshaltung. & Rüdinger cent. 2. singul. obs. 75. vort
gewehr / Gewehrschafft / vnd Schadloshaltung eines verkaufften
Guts. Non quòd hæc verba, si propriam significationem spectes,
idem sint quòd Eviçtio: sed quòd res non intelligatur eviçta, re-
spectu sc. emptoris, si præstatur Auctoritas, die Gewähr oder Wehr-
schafft. Colleg. Jurid. Argent. lib. 21. tit. 2. th. 2. Et est hæc Aucto-
ritas, ut re jure judiciòq; eviçtâ emptori, emptor regressum habeat
adversus auctorem suum (Germ. Wehrmann: quem Galli vocant
GARANT vel GUARENT, ex eodem fonte. Esse enim vocem
eam ex prisçâ Germanorum linguâ, profitetur etiam Cujacius in
comment. ad lib. 4. Feud. tit. 37. & ad l. 5. C. h. t. indèq; est verbum
GUARENTIZARE, vel ut Cujac. & Hott. legunt, GUARENTARE,
2. F. 34. in pr. vers. Si autem. WARENTEM vocat Imp. Otho, in lege
quadam, qua extat inter Leges Longobardorum lib. 2. tit. 28. WARAN-
DATOREM vel VARENDATOREM, Specul. Saxon. lib. 1. art. 9. & lib.
3. art. 83. & WARANDUM, instrumenta vulgaria Latina, quæ hodie
fiunt) h. e. venditorem; & emptori venditor auctoritatis nomine
teneatur.*

3. DEFINITIO Eviçtionis in libris juris nostri nulla ex-
tat: ab Interpretibus autem confectæ prodiçtæq; sunt variæ. Veluti,
quòd sit Rei emptæ, vel ex aliâ justâ causâ acceptæ, per judicis sen-
tentiam abductio, vel alio evincente, causæ amissio, ab Azone in
summa Cod. h. t. n. 1. eumq; secutis Sichardo in comment. ad Cod. l. 14.
n. 2. famil. ercis. & rubr. de Eviçt. n. 2. & Wurmbsero in observat. fo-
rens. tit. 32. de Eviçt. obs. 1. in fin. Rei nostræ, quam adversarius legi-
timo titulo acquisierit, per judicem facta recuperatio. à Wesenbec.
in parat. Digest. h. t. n. 1. eumq; secuto Treutlero vol. 2. disp. 2. th. 5.
Rei emptæ rectè facta ablatio amissiove. à Caballino lib. sing. de Eviçt.
§. 1. n. 2. In judicio in rem efficax & plena victoria ejus qui egit ad-
versus emptorem, vel cum quo egit emptor. à Cujac. in parat. C. de
Eviçt. & in recitat. ad C. d. t.

4. DIVISIONEM quod attinet, Eviçtionem non Genus
aliquod, sed imam Speciem esse puto, adeoq; ejus divisionem pro-
priè dictam nullam esse: perinde ut & de Possessione traditur in
Colleg. Jurid. Argent. lib. 41. tit. 2. th. 5.

5. CAUSÆ, ex quibus ob Eviçtionem nascitur obligatio
& actio,

& actio, multæ ac variæ sunt: quas omnes ordine hîc recensere & pertractare, nimis prolixum foret & ab instituto meo alienum: dicam aliquid de illustrioribus.

6. Potissima Evictionis, & dandæ ob eam Actionis, causa est; si res aliena sit vendita. *l. 11. §. ult. ff. de act. empt. & t. t. ff. & C. de Evict.* idque sive sciverit venditor rem alienam esse, sive ignoraverit. Nam & bonæ fidei venditor perinde Evictionis nomine tenetur, non modò ad pretium restituendum, *arg. th. seq.* sed etiam ad duplum ex stipulatu, vel saltem ad id quod interest, actione empti *l. 25. ibi, ignorans distraxerit. C. h. t.*

7. Quin imò ne tum quidem venditor ab Evictionis obligatione immunis est, cum se nihil ob rem evictam præstiturum aperte & expressè convenit. *d. l. 11. §. ult.* nisi quòd hoc casu propter adjectum pactum, de pretio duntaxat restituendo tenetur. *d. l. 11. §. ultim.*

8. Nec tamen hoc ita simpliciter ac indistinctè procedit; sed & illud insuper requiritur, ut venditor bonâ fide rem alienaverit. Quod si enim in vendendo dolosè versatus fuerit, veluti si rem sciens alienam vendiderit, certè solvendo nudum pretium, minimè liberabitur: sed in omne id quod in stipulationem (si quæ interposita sit) deductum est; aut hac deficiente, in id quod interest ex empto tenebitur. *d. l. 11. §. ult. l. 30. §. un.* idq; ob commissum dolum: quem ut in omnibus, ita vel maximè in bonæ fidei contractibus, abesse convenit. *l. 1. §. ult. in fin. l. 30. §. un. ff. de act. empt.* perinde enim habebitur, ac si pactus esset venditor, ne dolum præstetur: quod tamen nullâ pactione effici potest. *l. 27. §. 3. ff. de pact.*

9. Imò licet aliàs emptori adversus venditorem de Evictione nulla competat actio, antequam res ei evicta ablatâq; sit. *d. l. 30. §. un. l. 74. §. 2. ff. de Evict. l. 3. l. 18. C. eod. tit.* tamen scientia seu dolum venditoris facit, ut statim ab emptore, postquam is rem alienam sibi venditam cognoverit, etiamsi ea nondum evincatur, conveniri possit. *d. l. 11. §. ult. ibi, nisi fortè sciens, & d. l. 30. §. un.*

10. Quæ de venditore rei alienæ dicta sunt, ea quoq; ita se habent, si (quæ est altera Evictionis causa) res communis tanquam propria sit vendita. *l. ult. C. de comm. rer. alien.*

11. Tertio, ob evictionem nascitur obligatio & actio, si vendatur

datar res quæ non sit in commercio, ut homo liber, res sacra, locus religiosus vel publicus &c. l. 39. §. 3. ff. de Eviçt. l. 4. ff. quib. ad libert. proclam. non lic.

12. Monendum hîc tamen, Ea quæ hætenus de Actione eviçtionis nomine Emptori competente, ob id, quòd res aliena, vel communis, vel commercio exempta, ei vendita sit, dicta sunt, locum habere in bonæ fidei emptore: non etiam peræquè in malæ fidei emptore, qui rem illam alienam, communem, aut commercio exemptam esse scivit. Hic enim re eviçtâ de Eviçtione agere non potest, nisi nominatim de ea vel per stipulationem vel per pactum sibi prospexerit. l. 27. C. h. t. l. 7. C. commun. divid. l. 4. §. 7. ff. de Except. dol. mal. & arg. l. 9. l. 18. C. h. t. l. 1. §. 1. ff. de act. empt.

13. An autem tali casu Emptor vel saltem pretium à venditore, ejusve heredibus, repetere possit, quæstionis est. Et quidem Interpretes & pragmatici communiter statuunt; non posse repeti pretium: idq; maximè propter textum in d. l. 27. ibi, quod eo nomine dedit. C. h. t. Gloss. & Doct. ad d. l. 27. Wurmbf. in observat. tit. 32. de Eviçt. obs. 1. sub fin. Myns. cent. 6. obs. 37. n. ult. Gail. lib. 2. obs. 139. n. 16. Gomez. lib. 2. var. resolut. c. 2. n. 42. Hart. Pistoris lib. 2. quest. jur. quest. 10. n. 22. Quibus ipse quoq; subscribo.

14. Diversum tamen jus est in illa specie rei alienæ (seu quæ pro aliena habetur) cùm rem restitutioni obnoxiam, veluti quæ testamento vel codicillis alii legata vel per fideicommissum relicta est, emptor sciens emerit. Nam si vel maximè de Eviçtione sibi caverit talis emptor, stipulatione aut pactione interpositâ: non tamen propterea re eviçtâ vel ad duplum ex stipulatu, vel ad id quod sua interest ex empto agere potest. Et rursus si vel maximè nihil caverit, tamen pretium rectè repetit. l. ult. §. emptor. seu ult. C. commun. de legat. & fideic.

15. Hinc jam de rei feudalis emptore sciente dubitatur: sitne in eo observandum jus illud generale, de quo in d. l. 27. C. h. t. ut in casu eviçtionis ne quidem repetitionem pretii habeat: an verò jus singulare, de quo in d. l. ult. C. commun. de legat. & fideic. ut pretium recipiat? Mihi prius placet.

16. His quæ de emptore sciente dixi, quòd ei ne quidem ad repetendum pretium actio detur; consequens est; venditorem, qui

in

187.

in venditione indicavit, quid juris sibi in re venditâ desit, aut qua in causâ illa sit, prædixit, eamq; ut talem vendidit, evictione postmodum secutâ, ejus nomine nequaquam teneri. *l. 69. princ. ff. de Evict.*

17. Sed tamen hîc illud quoq; requiritur, ut venditor in indicando non fuerit mentitus, nec aliquid quod specialiter exprimendum erat dissimulaverit. *l. 39. §. ult. l. 46. pr. l. 62. §. ult. l. 69. §. 4. h. r.* Proinde si quis fundum vendiderit, eiusq; usumfructum expressè detraxerit, vel in genere eum ad se non pertinere dixerit; ac postea ususfructus evincatur; Emptor venditorem de evictione convenire non poterit: secus si venditor in venditione usumfructum huius esse, cùm tamen esset alterius, asseveraverit: aut si quidem dixerit cuius revera esset, reticuerit autem quòd præcipuo quodam modo eius esset, veluti quamdiu viveret. *l. 39. §. ult. l. 46. pr. l. 62. §. ult. ff. de Evict.* Quin imò licet jam sit eius, cuius venditor eum esse dixit: si tamen postquâ ad hunc pertinere desisset, ad alium quoq; perventurus sit, isq; eum evincat, venditor evictionis periculum non defugiet. *d. l. 39. §. ult.*

18. Et huc referri possunt, quæ passim de Statulibero vendito leguntur: ubi plurimum interest, utrùm venditor generaliter pro statulibero eum vendiderit, an verò certam aliquam conditionem, sub qua libertas ei data sit, expresserit. Priori casu quocunque modo ad libertatem pervenerit servus, venditor de Evictione non tenebitur. *l. 69. princ. ff. de Evict.* dummodò jam tùm, cùm libertatis causam excepit, liber non sit. *fac. d. l. 69. princ. & §. 1. nec venditor perfusoriè aut obscure statuliberum dixerit; vel libertatis conditionem, quam emptor ignorabat, celaverit.* Hoc namque factò, empti iudicio se obstringit *d. l. 69 §. 5. arg. l. 21. ff. de contr. empt.* Posteriori verò casu, ubi sc. venditor certam aliquam conditionem pronuntiavit, eâ existente, si in libertatem auferatur servus, venditor liberatur; si ob aliam, nequaquam. *d. l. 69. §. 2.*

19. Nec tamen hoc aliter valere puto, quàm si non expediebat Emptori evinci servum eâ conditione quam venditor expressit. Nam cùm duriolem (contrahentium sc. non statuliberi contemplatione;) conditionem in statulibero indicavit, quàm revera
erat.

erat, aut postea eveniebat, venditorem de Evictione non teneri, æquum est: veluti si dixerit, eum quem vendebat, liberum jussum esse si quinque daret, & is liber esse jussus fuerit si decem daret; aut si dicat libertatem ei datam esse post annum, quæ data ei erat post biennium (sic enim commutatâ lectione speciem facti in *l. 46. §. ult. ff. h. t.* poni debere, monuit Cujacius in *tract. 6. ad Afric.*) aut si dixerit, eum liberum esse jussum sub hac conditione, si navis ex Asia venerit, cum esset manumissus sub istâ, si Titius consul factus fuerit; & illa conditio prius extiterit quàm hæc. Emptor igitur re Evictâ de Evictione acturus, repellatur aut exceptione doli mali, si ex stipulatu agat, quia nihil ejus interest; aut ipso jure, si agat ex empto. *l. 46. §. 2. & 3. ff. h. t.*

20. At quid si dixerit venditor, statuliberum cum ea conditione liberum jussum esse, si decem heredi daret: & is jussus esset dare quinque tantum: aut, si viginti daret, is jussus esset dare decem duntaxat: & statuliber iste, quinque, aut respectivè decem, datis ad libertatem pervenerit, adeoq; emptori evictus sit? Tenebitur eâ de re venditor emptori. *l. 54. §. 1. l. 69. §. 3. ff. h. t.* non quidem ex stipulatione duplæ, sed tamen actione ex empto. *d. l. 69. §. 3.*

21. Quinta evictionis causa est, si res vendita jam antè alii pignori obligata sit. *l. 4. l. 22. C. de Evict.* Nec solum re evictâ venditorem convenire potest. *l. 3. C. h. t.* & quod ipse eo nomine creditori hypothecariâ agenti solvet, à venditore repetere. *l. 10. C. de compens. d. l. 22. C. h. t.* verum & ante evictionem, aut debitæ quantitatis solutionem, contra eum agere potest, ut rem nondum traditam liberet onere hypothecæ. *l. 5. C. h. t. l. 41. pr. ff. de contr. empt. l. 52. §. 1. ff. de act. empt.*

22. Meminisse autem debemus, non minùs hîc, quàm in superioribus, bonam fidem & ignorantiam in emptore requiri. Quod si igitur sciens rem alii obligatam emerit, nec quicquam de evictione convenerit, contra juris rationem petit, quod eo nomine dedit. *l. 27. C. de Evict.*

23. Occasione causæ jam dictæ & sextam addere libet, quæ existit, si creditor rem sibi obligatam vendiderit. Ubi ante omnia observandum, duplici jure creditorem pignus vendere posse; Jure sc. communi; & jure creditoris ac pignoris lege. Si jure communi (quod

(quod licet non præsumatur, attamen & tùm factum esse creditur, si de Evictione, ut venditores solent, caverit,) ut quivis alius venditor tenebitur. *l. 1. l. 2. C. credit. evict. pign. non deb. l. 22. §. ult. ff. de pign. act.* Sed si quid eius nomine præstiterit, debitorem tanquam non liberatum, actione pecuniæ creditæ, vel contrariâ pigneratitiâ convenire poterit, si is sciens siue ignorans rem alienam obligaverit. *l. 16. §. 1. d. l. 22. §. ult. ff. de pign. act.* Si jure creditoris & pignoris lege, id est, non promissâ evictione; non tenetur, ne quidem ad pretium restituendum: modò se cæteris præstet potioem. *l. 1. C. cred. evict. pign.* ac emptori contrariam pigneratitiâ actionem adversus debitorem cedere non detrectet: *l. 38. ff. de Evict.* nec dolo malo sciens rem alienam, vel sibi non obligatam, vendat. *l. 2. C. cred. evict. pign.* quo casu nec regressus ei est ad contrariam pigneratitiâ, *l. 16. §. 1. in fin. ff. de pign. act.* Neque hîc distinguendum inter venditorem pignoris, fiscus fuerit an privatus, utpote qui in pignoribus & hypothecis pari passu ambulant; cum neque fiscus neque privatus ullum in illis privilegium habeat, nisi ex tempore antiquiore. *l. 8. ff. qui pot. in pign. l. 22. §. 1. ff. de jur. fisci.* *l. 2. C. de privileg. fisci. Cuj. lib. 19. obs. 4.*

24. Hactenus de Emptione venditione, in quo contractu evictionis obligatio in primis obtinet, etiam tum cum super ea nihil expressè dictum, actum, aut promissum est. *l. 6. C. de Evict. l. 60. l. 70. ff. eod. l. 11. §. ult. ff. de act. empt.*

25. Verùm cum sint adhuc causæ complures aliæ, quæ partim ex contractibus emptioni similibus, partim verò aliunde, oriuntur, & evictionis nomine obligationem pariunt, de illis quoque nonnulla dicam.

26. Sunt autem causæ hæ triplices. Aliæ enim, non minus ac ipsa venditio, naturaliter & sine singularis conventionis subsidio, evictionis obligationem pariunt: Aliæ conventionem quidem desiderant, non tamen præcisè stipulationem requirunt, sed vel nudâ pactioe contentæ sunt: In aliis ne quidem pactio sufficit, sed stipulatio requiritur.

27. Ex primo negotiorum genere est. I. Permutatio. *l. 1. §. 1. ff. de rer. permut. l. 1. in fin. C. eod. tit. l. 5. §. 2. ff. de præsc. verb.* Nec immeritò: quia permutatio vicina est emptioni. *l. 2. ff. de rer. permut.*

B

adeò

aded ut quidam eam dixerint esse speciem Emptionis - venditionis.
§. 2. *Inst. de Empt. & vendit. l. 1. §. 1. ff. de contr. empt.* Quod si igitur
res, quam ex causa per mutationis accipi, evicta mihi est, competet
mihi eo nomine adversus dantem actio: vel ad duplum ex Stipula-
tu, si stipulatio duplæ intercessit: vel ad id quod interest, *l. 29. C. h. t.*
actio in factum. *l. 1. §. 1. ff. de rer. permut. h. e. actio præscriptis*
verbis, quæ ex permutatione competit, ut vocatur in §. 28. Inst. de
act. (Nisi tamen & ego rem alienam dederim. Hoc enim casu mihi
non competeret hæc actio. *l. 1. §. 3. ff. de rer. permut.*) vel ad recipi-
endam rem meam, quam ego dedi, condictio ob causam dati
causâ non secutâ. *arg. l. 1. §. ult. ff. de rer. permut. l. 5. §. 1. de præscript.*
verb. l. 1. C. de rer. permut.

28. II. Divisio rerum communium, quæ & ipsa speciem
habet Emptionis - venditionis, *l. 1. C. commun. utr. jud.* aut certè per-
mutatio quædam est *l. 77. §. 18. de leg. 2. & arg. l. 20. §. 3. ff. famil.*
ercisc. ex eaq; nasci obligationem & actionem evictionis nomine,
patet ex l. 66. §. ult. ff. h. t. l. 7. C. commun. utr. jud.

29. III. Datio in solutum. Nam & utilis ex empto ex hac
contra debitorem competit. *l. 4. C. de Evict. l. 24. pr. ff. de pign. act.*
l. 1. C. de rer. permut. Nov. 4. c. 3. Quin etiam præter utilem hanc ex
empto actionem, & pristina datur actio. *l. 46. ff. de solut. l. 8. Cod. de*
sent. & interlocut. om. jud.

30. IV. Donatio cum qua mixtum sit negotium, ut loqui-
tur *l. 18. pr. ff. de donat.* puta si donatur fundus, ut vicissim quid
detur aut fiat: vel pro qua *ἐν τῷ ἴδιω* datum acceptumq; sit. Quo ca-
su ob evictionem actionem dari æquissimum videtur. Est enim
veluti permutatio quædam. *d. l. 18. l. ult. C. de rer. permut. l. 25. §. 11.*
ff. de hered. petit. Id quod de donatione remuneratoriâ expressè
cautum est in LL. Longobard. *lib. 2. tit. 36. de Evict.* ut adnotavit
Cujac. *lib. 2. Feud. tit. 9. & ad l. 2. C. h. t.* Aliàs regulariter ex causa
donationis non est actio evictionis nomine, ut dicam *infr. thes. 36.*

31. V. Investitura, sive collatio & traditio Feudi. Ex hac
quoq; ad exemplum venditionis, etiam nullâ interpositâ stipulatio-
ne, Evictionis nomine nascitur obligatio & actio. Licet enim Feu-
do evicto vasallus ad duplum, ut in venditione, agere nequeat, *Go-*
thofr. in not. 2. Feud. 25. dominum tamen, ad aliud ejusdem bonita-
tis

ris & qualitatis, cujus fuit tempore rei judicatae illud quod evictum est, restituendum, vel litis aestimationem praestandam, convenire non prohibetur. 2. F. 8. & 25. Cujac. 4. F. 1. Neq; hic distinguitur, utrum Senior seu Dominus rem in Feudum datam alienam vel alii oppigneratam sciverit, an ignoraverit; sed vasallum bona fide accepisse, vel saltem de evictione sibi pacto speciali prospexisse, sufficit. d. tit. 8. & cap. extraord. 80. 87. & 96. apud Cujac. lib. 4. Feud.

32. VI. Adjudicatio. Datur enim & in hac, etiam sine expressae conventionis ope, Actio evictionis nomine: veluti si res quae evicta est, nobis fuerit adjudicata per judicem in judicio familiae erciscundae, l. 25. §. 21. ff. famil. ercisc. l. 14. C. eod. tit. vel communi dividundo. l. 10. §. ult. commun. divid. junct. l. 7. C. comm. utri. jud.

33. VII. Contractus, Do ut facias. Nam & ex hoc dari evictionis nomine actionem, patet ex l. 5. §. 2. in fin. ff. de prasc. verb. l. 7. §. 2. ff. de pact.

34. Secundi generis exemplum puto esse in Dotis datione. Qui enim alteri rem (in aestimatam sc. quae proprie dos est. At cum res aestimata datur, aestimatio facit, ut magis sit venditio dotis causa, quam dos. l. 10. §. 4. l. 16. ff. de jur. dot. l. 5. C. eod. tit. l. un. §. 9. in fin. C. de rei ux. act. ac proinde etiam sui naturam, sine accessu stipulationis aut pactionis, obligationem & actionem Evictionis nomine producit. l. 1. C. de jur. dot. l. 16. ff. eod. tit.) ex dotis causa tradit, sive in dotem dat: is non quidem ex ipsa negotii natura de Evictione tenetur, l. 1. C. de jur. dot. l. 52. ff. eod. tit. nisi quod is qui dolo rem alienam in dotem dedit, doli actioni (aut certe in factum, si ipsa mulier dederit) sit obnoxius d. l. 1. nec tamen etiam praecise solenni cautione vel stipulatione (quae communiter adhiberi solet. l. 23. vers. quia ex promissione. ff. de Evict.) adstringendus est: verum etiam ex pollicitatione & nudo pacto ad eandem obligatur. d. l. 1. Cod. de jur. dot. ut proinde vel actione ex stipulatu vel conditione conveniri queat. d. l. 1. C. de jur. dot.

35. In tertio causarum sive negotiorum genere, aut quaeritur de stipulationis interpositae vi & efficaciam: aut de interponendae necessitate: vel, quod idem est, Aut quaeritur, In quibus causis stipulatio adhibita evictionis nomine actionem pariat: aut in quibus causis non nisi stipulatio evictionis nomine actionem pariat. Ad priorum quaestionem respondet l. 52. ff. h. t. quae ait, Nihil interesse ex qua causa



dupla stipulatio fuerit interposita, utrum ex causa emptionis, an ex alia: ut committi possit. Ad posteriorem respondetur, omnino esse causas, in quibus ne quidem pactum traditioni aut contractui adiectum sufficiat ad obligationem & actionem evictionis nomine pariendam: sed precise requiratur stipulatio.

36. Huius generis precipue est Donatio proprie dicta, h. e. non sub remunerationis lege facta, de qua *supra thes. 30.* neque dos, (quæ ipsa quoque donatio dicitur. *l. ult. C. de donat. propt. nupt.*) de qua *supra thes. 34.* idq; propter textum expressum in *l. 18. §. ult. ff. de donat.* quæ ne quidem in casu, quo donatarius impensas in rem donatam fecit, adversus donatorem actionem (nisi de dolo) concedit; & in *l. 2. C. h. t.* quæ etiam pacto nudo interveniente minime donatorem evictionis nomine teneri edicit.

37. De Legato etiam querit Accursius *in gl. ad d. l. 2.* opportunè utique, quia & legatum donatio quædam est. *§. 1. Inst. de legat.* Distinguitur autem hoc modo: Aut legata fuit res in specie, veluti Stichus, fundus Tusculanus; & tùm sine stipulationis intervenitu de evictione præstandâ heres non tenetur: cùm talis sit præstanda qualis est. *l. 85. §. 2. ff. de leg. 1.* nisi forsan testator sciens prudensque rem alienam vel oppigneratam legaverit. *arg. §. 4. & 5. Inst. de legat. l. 36. §. 1. ff. de usufr. legat.* Aut legata fuit generaliter & infinite, veluti homo, fundus: & tùm, si heres ex rerum illarum numero talem dederit legatario, quæ eadem postea evicta est, eo nomine actione ex testamento conveniri potest. *l. 29. §. pen. de leg. 3. l. 58. ff. de Evict. l. 71. §. 1. de leg. 1. d. l. 45. §. 1. de leg. 1.*

38. Atq; ista, de causis evictionum dicta sufficiant: Ad Actiones quæ inde nascuntur jam progredior.

39. Duæ autem precipue Evictionis nomine dantur Actiones; Una ex Empto (si sc. rem quæ nobis evicta est; ex causa Empti-venditi acceperimus: ad quam etiam principaliter & primariò tractatus de Evictionibus pertinet. Ex aliis causis etiam alias Actiones esse, *supra suis locis dictum.*) Altera ex Stipulatu. Actio ex empto ex natura contractus tùm maximè competit, si in venditione dictum non sit, quantum venditorem pro evictione præstare oporteat. *l. 60. l. 70. ff. de Evict. l. 6. C. eod. tit.* & hoc casu non solum secutâ evictione pretium & id quod interest consequetur emptor.

ptor. d. l. 60. l. 70. sed etiam antequam res evincatur ad duplam sibi
promittendam semper agere poterit. l. 2. l. 37. pr. ff. de Evict.

40. Et hæc ita se habent, si initio contractus non aliter con-
venerit. Cæterum ubi plus vel minus, quam quod aliàs naturali suâ
vi persequitur actio empti, promitti, aut secutâ evictione dari pla-
cuit; tum placitum istud custodiendum omninò est. l. 74. pr. ff. de E-
vict. fac. l. 1. pr. §. 5. & 7. ff. de pact. l. 13. C. eod. tit. l. 1. §. 6. cum simil.
ff. de pos.

41. Hinc si in vendendo dictum sit, ut triplum aut quadru-
plum promitteretur, vel re evictâ præstaretur, tum ad triplum aut
quadruplum promittendû præstandumve semper agi poterit; hac
tamen servatâ distinctione; ut priori casu actio instituatur antequâ
res sit evicta: posteriori autem demum factâ evictione. Et rursus si
dictum sit, ut simpla tantum vel etiam eâ minus promitteretur, aut
post factam evictionem præstaretur: tum coarctata est natura acti-
onis empti, ut duplam, aut quod aliàs naturâ empti venit, persequi
non possit: sed aut simplâ, h. e. pretio, aut etiam quod minus re evi-
ctâ dari placuit, cogitur esse contentus emptor, ob fidem pacti. arg.
l. 56. pr. junct. l. 74. pr. ff. h. t.

42. Ex vi igitur pacti adiecti, evenit, ut actio empti modò
plus modò minus duplo, & eo quod interest, persequatur. Pacto e-
nim non accedente, simpliciter ad duplum promittendum; aut
hoc neglecto, post evictionem ad simplum & id quod interest agi
poterit. Nisi fortè ex causa judicati pignus captum jussu judicis dis-
trahatur: tum enim eo evicto non ad id quod interest emptoris,
sed de nudo pretio eiusve usuris, habitâ fructuum compensatione,
ex empto actio datur. l. 74. §. 1. ff. de Evict.

43. Altera quæ Evictionis nomine datur actio, est ex Stipu-
latu; eaq; ut plurimum in duplum: unde etiam assidua dicitur, par-
temq; rubricæ constituit: nonnunquam tamen & in simplum, tri-
plum, aut quadruplum datur: ita quidem, ut hîc satisfactio (pro-
priè sic dicta, h. e. quæ fit datis fideiussoribus. l. 22. §. 1. ff. de Evict.
l. 1. §. 8. junct. §. 5. & l. 7. ff. de prator. stipul.) exigatur: illic autem
nuda repromissio sufficiat. l. 56. pr. l. 37. pr. ff. de Evict. d. l. 1. §. 8. de
prator. stipul. nisi, ut l. 20. l. 40 l. 41. §. 2. ff. de Evict. l. 8. Cod. eod. tit.
aliud specialiter convenerit. l. 4. pr. d. l. 37. pr. l. 56. pr. ff. de Evict. l. 1.
B 3 §. 8.

§. 8. ff. de prator. stipulat. aut venditor agat ex vendito eo tempore, quo emptori movetur lis pignoris vel proprietatis. Nam & hoc casu venditor omninò cogitur satisfacere de Evictione, nî velit repelli exceptione doli mali. l. 24. C. de Evict. l. pen. §. ult. ff. de pericul. & commod. rei vend.

44. Sequitur ut videamus, CUI ET ADVERSUS QUEM ACTIO OB EVICTIONEM DETUR: In quo tantò minùs laborandum putò, quantò facilius est, id ex superiore enarratione causarum colligere.

45. Cùm enim Stipulatio intercessit, generatim dici potest; dari hoc nomine actionem cuicumq; qui de Evictione præstandâ stipulatus est, ex quacunq; causâ, thes. 35. cùm verò non intercessit stipulatio; dicemus dari Evictionis nomine actionem, Emptori. thes. 6. & seqq. Permutatori. thes. 27. Ei qui rem accepit ex Divisione. thes. 28. aut in solutum. thes. 29. aut ex Donatione remuneratoriâ. thes. 30. Vasallo, sive qui rem evictam ex causâ investituræ feudi accepit. thes. 31. Ei cui res sententiâ judicis adjudicata est. thes. 32. Ei qui rem accepit ex contractu innominato do ut facias. thes. 33. & c. Non etiam marito sive ei qui rem ex causa dotis accepit, nisi pacto sibi prospexerit. thes. 34. multò minùs donatario. thes. 36. non etiam Legatario, cui res evicta nominatim legata fuit, saltem à testatore ignorante. thes. 37.

46. Et vicissim, Generatim dicendo, datur Actio evictionis nomine adversus quemcumq;, qui ex quacunq; causâ de eâ præstandâ stipulanti promiserit. thes. 35. aut si non intercessit stipulatio, adversus Venditorem thes. 6. & seqq. Permutantem. thes. 27. Socium, sive eum qui rem ex causa divisionis tradidit. thes. 28. Eum qui rem evictam in solutum dedit. thes. 29. Donatorem, qui non ex mera donationis causâ donavit. thes. 30. Dominum feudi thes. 31. Socium, collitigatorem in judicio famil. erisc. aut communi dividundo. thes. 32. Eum qui nobis tradidit rem ex articulo Do ut facias. thes. 33. & c. Non etiam adversus Socerum, aut uxorem, (aut generalius eum eamve) qui quæve rem ex dotis causa dedit, tam sine pacto quàm stipulatione. thes. 34. non etiam adversus donatorem simplicem. thes. 36. neq; adversus heredem, nisi generaliter & indefinitè rem legatario dare jussum, aut expressâ tacitave voluntate ad Evictionem obligatum. thes. 37.

Illud

47. Illud quoque expeditum est, ut & aliis actionibus com-
 mune, Dari hanc actionem non solum ipsi stipulanti, paciscenti,
 aut ei qui ex causâ aliquâ Evictionis præstandæ oneri obnoxia rem
 accepit: & quidem etiamsi mandatu alterius emerit. *l. 49. §. ult. de
 acquir. possess.* sed etiam Heredi ejus. *l. 23. l. 30. ff. h. t.* domino autem
 non dari, nisi ipsi à procuratore, qui ex mandato ipsius emit, cessa
 sit. *d. l. 49.* ut siciple dominus fiat procuratoris procurator, sed in
 rem suam. *l. 8. §. ult. ff. Mand.* Aliud tamen in domino servi. Hic e-
 nim non servo sed domino datur actio. *l. 39. §. 1. ff. h. t.* Item dari e-
 am non solum adversus ipsum promittentem, aut contrahentem:
 sed etiam adversus ejus Heredem. *l. 9. l. 18. l. 23. C. h. t.* & quidem si
 plures sint, adversus omnes. *l. 85. §. 5. l. 139. ff. de verb. oblig.* itémque
 adversus fidejussorem (quem vulgò Auctorem secundum vocant.
l. 4. pr. ff. h. t.) si quis intervenerit. *l. 7. l. 18. C. h. t. l. 41. §. 2. ff. eod.*
 & fidejussorum heredes. *d. l. 18. l. ult. C. h. t.* Non datur tamen ad-
 versus Procuratorem, nisi ipse promiserit. *l. 66. §. ult. ff. h. t. l. 13. §.
 25. ff. de act. empt. l. 67. de procurat.* ut nec adversus Tutorem vel Cu-
 ratorem. *l. 4. §. 1. ff. h. t.* nec adversus apparitorem jussu Judicis ven-
 dentem. *l. 50. l. 74. §. 1. ff. h. t. l. 13. C. eod. tit.*

48. Videamus nunc etiam de effectu Actionis ob evictio-
 nem competentis, & AD QUID ea detur. Et primùm quidem de ex
 Stipulatu Actione, vel Actionibus; secundùm varias stipulationum
 species.

49. Inter has verò primum locum (non ratione præemi-
 nentiæ, sed quantitatis) obtinet actio simplæ: quæ cum sit juris
 stricti, ut omnes stipulationes aliæ quibus certum petitur, nil nisi
 simplex rei pretium in stipulationem deductum persequitur.

50. Quemadmodum autem actio simplæ ad simplum, ita a-
 ctio duplæ ad duplicatum pretium exigendum competit. *l. 2. l. 17.
 l. 48. cum simil. ff. de Evict.* pretium inquam, non verum & justum;
 sed quod conventum aut datum est. *l. 74. pr. ff. h. t. l. 23. in f. l. 25. C.
 h. t.* adeò ut licet interim res vel minoris vel majoris facta fuerit, id
 tamen minimè attendatur; sed pretii conventi ratio solum habeat-
 tur, omnisque auctio vel diminutio ad venditorem pertineat. *l. 64.
 in princ. ff. de Evict. & ibi gloss. ac Dd. communiter.* Et hæc ita, si tota
 res fuerit evicta. Cæterùm ubi non tota res, sed pars ejus tantùm
 evincitur,

evincitur, inter partem pro indiviso & partem pro diviso evictam, distinguendum esse docet *d. l. 64. pr. & §. 3.*

51. Actionem ex empto quod attinet, datur illa ad pretium & id quod interest rem evictam non esse. *l. 60. l. 70. ff. de Evict. l. 9. l. 23. l. 29. C. eod. tit. fac. l. 43. in fin. de action. empti.* unde si minor esse coeperit, non venditoris sed emptoris damnum erit. *d. l. 70.* sicut è contrario si pluris fuerit, quam vendita est, idem habebit emptor. *l. 1. pr. ff. de act. empt. fac. l. 8 ff. de Evict.*

52. In computationem autem ejus quod interest hinc veniunt 1. Sumptus litis quos emptor in iudicio vindicationis fecit. *l. 102. ff. de verb. oblig.* 2. impensæ quas ad meliorandam rem emptor erogavit. *l. 9. C. de Evict.* 3. usuræ. *l. 18. ff. de usur. & fruct.* 4. fructuum æstimatio. *l. 15. §. 1. cum siml. ff. de Evict.* 5. accessiones. *l. 8. l. 16. pr. l. 42. l. 43. ff. de Evict. l. 11. §. 17. ff. de act. empt.* 6. in genere omnes utilitates, quæ vel in damno emergente vel in lucro cessante spectantur; modò circa, non extra, rem quæ veniit, consistant. *l. un. vers. Et hoc non solum C. de sent. qua pro eo quod interest. l. 2. §. ult. in fin. ff. de eo quod cert. loc. l. 33. vers. Nam si colonus. ff. Locat. l. 11. in fin. pr. ff. ad Sc. Trebell. l. 13 ff. rem rat. hab. l. 21. §. 1. de act. empt.*

53. Transeo ad postremum Tractationis supra propositæ caput: QUÆNAM POTISSIMUM REQUIRANTUR, ut Actio Evictionis nomine ex causis supra enumeratis, aliisve similibus, nascatur & efficax sit.

54. In primis autem ut Actio Evictionis nomine detur hoc requiritur: Rem ipso actu evictam esse: sive, quod idem est, Ante evictionem de evictione agi non potest. *l. 21. §. 1. l. 74. §. 2. ff. h. t. l. 3. C. eod.* Nec sufficit utiq; quæstionem emptori motam esse, & litem contestatam. *l. 16. ff. de R. V. d. l. 74. §. 2. ff. h. t. l. 28. C. eod. tit.* Nisi forsan ita convenerit, ut statim quæstione motâ venditor emptori pretium restitueret. *l. 12. C. h. t.* Aut venditor sciens prudensque emptori ignorantem rem alienam vel obligatam vendiderit: tunc enim ex empto dabitur actio etiam ante evictionem, ut dictum supra thes. 9. Sanè ad rem defendendam rectè conveniet venditorem emptor, etiamsi sibi res non evicta, sed tantum quæstio mota sit. *d. l. 74. §. 2. ff. h. t.*

Quin

602

55. Quin etiam aliquando ne quidem rem evictam esse sufficit, ad plenum effectum actionis & commissæ stipulationis : nisi & spes habēdi abicissa sit. Unde si à creditore Servianâ actione servus evictus sit, & postea venditor pecuniam solverit, pignusque liberaverit, exceptione doli submovebit emptorem ex stipulatione duplæ agentem. *l. 35. ff. h. t.* Aliud, si à domino per rei vindicationem servus fuit evictus, etiam si postea à venditore redemptus emptori iterum offeratur, *l. 67. ff. h. t.* vel etiam ab ipso domino emptori donetur aut legetur. *l. 57. § 1. ff. h. t.*

56. Sed etsi aliunde fiat, ut res emptori non abducatur, sed penes eum maneat, non committetur duplæ stipulatio, nec ex stipulatu agi poterit : poterit tamen agi actione ex empto ad id quod interest. *l. 9. l. 41. §. 1. l. 57. pr. ff. h. t.*

57. Satis tamen evicta res intelligitur, ut duplæ stipulatio committatur ; si emptor à domino conventus & iudicio superatus, rei ipsius retinendæ causâ (vel etiam cū eam restituere non posset, venditam fortè alii. *l. 33. ff. h. t.*) litis æstimationem præstiterit, vel rem à domino redemerit. *l. 16. §. 1. l. 21. §. 2. in fin. l. 29. ff. h. t.* Item, si res ante sententiam condemnatoriam (quæ postea secuta & secundum actorem data est) perierit. *l. 16. ff. de R. V.* item, si ipse dominus in possessione constitutus, ab emptore conventus, absolutus sit. *l. 16. §. 1. ff. h. t. & arg. l. 27. C. eod. tit. l. 35. ff. de procurat.* dummodò emptor non suâ culpâ aut sponte possessionem amiserit. *l. 29. §. 1. ff. h. t.*

58. De illo dubitatur, An etiam committatur stipulatio duplæ, ex eaq; conveniri venditor possit ; si res vendita nondum fuit tradita emptori, sed ipsi venditori evicta ante factam traditionem ? De qua quæstione jam olim controversasse Interpretes, patet ex gloss. *l. 3. ff. de doli mal. except.* Ego pro affirmante sententiâ pugnabo.

59. Deinde non sufficit, rem esse evictam : sed etiam iudicio ac iudicis sententiâ hoc ita evenisse necesse est. *l. 24. l. 34. §. 1. ff. de Evict. l. 17. C. eod. fac. l. 19. §. 3. ff. de negot. gest. l. 16. ff. de R. V. l. 11. ff. jud. sol.*

60. Cui consequens est, si res vi adempta sit, sive casu perempta, aut etiam propriâ emptoris voluntate amissa, id non aucto-

C ri



ri five venditori, sed ipsi emptori nocere, ut videre est in *l. ult. C. de act. empt. l. 11. pr. l. 21. pr. l. 25. l. 51. §. 2. l. ult. ff. de Evict.* Idem est, si emptor non iudicis, sed arbitri compromissarii, sententiâ victus fuerit. *l. 56. §. 1. ff. h. t.*

61. Sed ne hoc quidem satis est, iudicio rem ab invito auferri: verum Tertio quoque requiritur, ut iure, siue juris ratione, res evincatur. *l. 15. C. h. t.* Iure autem res evicta tum dicitur, cum & venditionis & evictionis tempore in eâ causâ fuit, ut justè advocari posset. Id quod tum quoque contingit, si res aliena, vel pignori alii obligata, vendita sit. *l. 63. §. 1. in fin. ff. h. t.* Quin imò etsi iure civili res perfectè accipientis facta sit, si tamen restitutorio aliquo iudicio advocetur, idem adhuc dicendum erit: exemplo *l. 39. pr. & l. 66. §. 1. ff. de Evict. & l. 82. §. 1. de leg. 1.*

62. Econtrariò hinc colligitur: si non iure, sed iudicis injuriâ, errore, aut imprudentiâ, emptor victus ac damnatus sit, eum nullum regressum adversus venditorem habere. *l. 15. Cod. h. t. l. 51. pr. ff. eod. tit. l. 1. C. de rer. permut. & arg. l. 67. ff. de fideiuss.* Nisi forsitan auctore vel fideiussore eius præsentem ita iudicatum fuerit. *l. 8. C. de Evict.* aut ipse venditor, eiusve heres, aut fideiussor, & in genere quicumque re ab aliis evictâ tenetur, rem evicerit. *l. 17. l. 18. l. 73. ff. de Evict. l. 11. l. 14. l. 25. l. ult. C. eod. tit.*

63. Quintò etiam requiritur, ut sine culpa ac vitio emptoris evictio contigerit, ut *l. 1. C. de rer. permut. & l. 8. C. de Evict.* Culpa autem Emptori variè imputari potest: veluti si absens per contumaciam ex eremodicio condemnatus sit. *l. 55. pr. ff. h. t. l. 8. C. eod. l. 1. C. de pericul. & commod. rei vend.* Item si cum potuisset usucapere, non usuceperit. *l. 56. §. 3. ff. h. t.* vel impletâ usucapione, contra petitorum se non defendat, opponendo ei exceptionem usucapionis. *arg. l. 19. C. h. t. l. 54. pr. ff. eod.* Item si possessionem rei, cuius retentionem, non etiam petitionem habebat, suâ culpâ vel sponte amiserit, & sic ex possessore petitor factus, & victus sit. *l. 29. §. 1. ff. de Evict.* aut si maximè possessionem non amiserit culpâ aut sponte suâ, habueritque rei petitionem, actione tamen idoneâ, quâ venditor eum experiri iussit, agere superfederit. *l. 66. pr. ff. h. t.* Item si sententiæ iniustæ acquieverit, nec provocaverit. *argument. l. 63. §. 1. & 2. ff. h. t.* aut si appellationem rectè riteque interpositam non intra

intra fatalia tempora profectus sit, sed desertam fieri passus sit. d.
l. 63. §. ult.

693.

64. Denique etiam singulariter requiritur: ut & litem denunciaverit sive (ut loquitur l. 7. C. h. t. l. 6. §. 5. ff. de act. empt. auctorem laudaverit.) l. 53. §. ult. ff. h. t. l. 8. l. 9. l. 17. l. 20. l. 21. C. eod. tit. l. 1. C. ubi in rem act. l. 1. C. de peric. & com. rei vend. l. 8. C. de sent. & interloc. om. jud. l. 29. §. 3 ff. de leg. 3. dummodò Emptori necessitas illa denunciandi non fuerit remissa. l. 63. pr. ff. h. t. aut facultas denunciandi non denegata. l. 29. C. h. t. fortè quòd abesset Auctor. l. 55. §. ult. l. 56. §. 4. ff. h. t. aut aliàs fecerit, ne sibi ab Emptore denunciari posset. d. l. 56. §. 5. vel etiam sine facto venditoris emptor scire non potuerit ubi ille esset. d. l. 56. §. 6.

65. Controvertitur etiam hinc inter Dd. An si causa notoriè sit iniusta, à denunciandi necessitate Emptor immunis sit? Item an absente & latitante venditore, eius domesticis denunciationem fieri oporteat? Item An etiam auctori immediato, aut potius huic quàm proximo auctori, lis denunciari debeat? Itemq; An auctor præcisè litem in se suscipere necesse habeat? & si suscipere eam velit, An privilegio fori uti, & ad suum iudicem provocare possit? In quibus omnibus negativa sententia mihi magis placet.

66. Sed quid si venditor etiam sine denunciatione emptoris sciverit, quæstionem ei motam & litem intentatam esse, an nihilominus oberit emptori, quòd denunciationem omiserit? Ita communiter statuunt: nec immeritò. arg. tum l. 8 ff. de public. in rem act. tum l. 74. §. 2. ff. de Eviçt. l. 85. §. 5. l. 139. ff. de verb. oblig.

67. Quod autem juris est in ipso venditore (vel generaliter in Auctore) idem in eius Herede observandum est. l. 51. §. 1. ff. de Eviçt. l. 8. l. 9. l. 21. & 23. C. eod. tit. Et quidem si plures extiterint, omnibus denunciandum erit. l. 62. §. 1. ff. de Eviçt. l. 85. §. 5. l. 139. de verb. oblig. Cæterùm auctore vel eius herede laudato, non etiam fideiussori, si qui datus sit, denunciationem fieri opus est: sed is etiam illaudatus eviçtionis nomine conveniri poterit. l. 7. C. de Eviçt.


68. Quo tempore auctor laudetur, nihil interest: dum tamen ne prope ipsam condemnationem id fiat. l. 29. §. ult. ff. de Eviçt. Quin etiam denunciationem in primâ instantiâ omissam, in causa appellationis rectè & utiliter interponi, Dd. communiter statuunt,
ut

ut videre est apud Wurmbser. in obs. forens. tit. de Evict. 32. obs. 1. n. 9.
Gomez lib. 2. var. resolut. 6. 2. n. 39. vers. Ex quo inferitur. Caball. tract.
de Evict. § 3. n. 144. & Zanger. in tract. de Except. part. 2. c. 2. num. 5.
qui de eo non dubitari asseverat. Quibus ipse quoq;
subscribo, & in eo Disputationem hanc DEO
propitio, finio.

FINIS.









Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020

WDM





B.I.G.

Farbkarte #13

684.
~~1626~~

. A.

36

VRIDICA
LIS,

1626, 10.

NIBUS.

TORITATE AM-
collegij in floren-
TENSIIUM

S SVMMIS IN
us & privilegiis
us,
i submittit

REINER

ATI,
LEDERTZ,
XXVI.

S

